DE ASTHMATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICAM...

Luciano Montecchi

Digitized by Google

1

DE

ASTHMATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

LUCIANUS MONTECCHI

E SUZZARIA MANTUAE OPPIDO

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ASTHMATE

Asthma generatim definitur dispnoea quaedam gravis, plerumque intermittens, cum sensu suffocationis, anxietatis, constrictionis et cum respiratione anhelosa vel sibilosa. Haec definitio autem varias et quidem oppositas apud auctores obtinuit significationes; imo, si antiquorum opiniones perpendantur, plures de hujus formae morbosae natura atque sede habentur sententiae. Quare Galenus a sola lenta et viscida materie pulmones replente eam proficisci credidit; in quam opinionem ex parte clarissimus venit Burserius. Medici arabes et saeculi praeterlapsi sedem asthmatis bronchiorum spasticam contractionem habuerunt, sub qua aeris transitus usque ad minimas vesiculas pulmonales prohiberetur. Clarissimus Bonnet de hujus morbi natura loquutus inquit: «Tracheae ductus nonnunquam a fibris eorum spasmodice affectis, contracti et occlusi aeri ad debitam inspirationem aditum negant: hinc cum nulla sit in pul-

Digitized by Google

monibus obstructio, aut mala conformatio, nulla insuper diathesis tabida; tamen a fibris istis praeternaturaliter convulsis et simul contractis asthmatis paroxismi saepe oriuntur». Haec sunt illius auctoris verba, per quae opinionem alia ratione a clarissimo Laennec prolatam exposuit. Postquam vero anatomes pathologica in auxilium diagnosticum venit, aliae asthmatis causae praeter enumeratas in cadaveribus inveniebantur, etiamsi nonnulli medici, inter quos Cullen aliique, asthma inter pulmonum nevralgias enumeraverint. Nuperrime Rostan in Gallia repetitis observationibus innixus medicorum attentionem in cor atque vasa majora revocavit, ex quibus asthma prodire credidit.

Inter varias opiniones hucusque enumeratas magis ad veritatem accedit qui plures morbi hujusce causas inquirit, eodemque tempore statum spasmodicum vel primitivum vel secundarium admittere cupit; quapropter cum clarissimo Rostan intimum nexum asthmatis cum variis organicis cardiopathiis invenimus; modo in muco tenaci pulmones obruente, modo denique, cum desint phaenomena cardiopathiae aut catarrhi, causam quaerimus in systematis nervosi peculiari laesione, quae a medici spasmus nuncupari solet. Quod revera ita sit, docent observationes Andral, Laennec aliorumque, ex quibus evictum est cellulas pulmonales et bronchia a textu musculari componi. Sicuti autem haud raro musculi et organici et animales spasmis laborant, ita nil mirum, si data opportunitate affectio spasmodica

Digitized by Google

fibras musculares pulmonum corripere valeat. Huic opinioni fulcrum addit intermittentia morbi, cessatio illius repentina, concomitatio cum affectionibus spasmodicis aliorum musculorum, denique suppressio cujuscumque excreatus sub paroxismo ipso. Revera unde explicabimus praefocationem repentinam, qua corripiuntur interdum foeminae hysteria laborantes, dum una simul laesiones systematis nervosi in aliis corporis partibus obviam veniunt? Stat ergo principium, quod ad asthma ingenerandum affectio spasmodica constanter suam symbolam conferat, quae autem modo primitiva est, modo secundaria. Sub hoc respectu, ut judicium diagnosticum tutum habeatur, oportet asthma simpliciter nervosum (alio verbo idiopathicum) a secundario et complicato sedulo discriminare.

Rejiciendae omnino sunt divisiones asthmatis sicci et humidi, sthenici et asthenici: priori enim in casu decurrit simul bronchitis catarrhalis sub larva asthmatis humidi; in altero vero casu asthma sthenicum ab irritatione phlogistica pulmonum dependet, cum magna aegri sensibilitate; dum e contra asthma asthenicum potius nervosum vocari deberet; etenim si paroxismos excipias, aeger sub intermissione bene omnino valet.

Magis igitur arridet divisio asthmatis in primitivum vel nervosum, et in complicatum, quod ultimum tres ordines amplectitur, scilicet: *a*) asthma cum emphysemate pulmonum, *b*) cum catarrho pituitoso, *c*) cum organicis cardiopathiis.

Digitized by Google

Nosographia juxta varias enumeratas conditiones est valdopere discriminanda.

Nosographia

Adparatum symptomatum in asthmate obvenientium multa discrimina in singulo aegrotante praeseferre ex supra expositis neminem latet. Quare ubi ad hujusmodi aegros accedimus, sedulo inquirere oportet, an malum continuo existat, an potius per intervalla decurrat, an primarium, an alterius morbi symptoma sit. Unde fit, quod ex examine omnium phaenomenorum judicium diagnosticum, prognosticum atque therapeuticum magis tutum proferatur.

His praemissis ad generalem hujus morbi nosographiam, dein ad specialem erit deveniendum.

Signa communia asthmatis primitivi

Paroxismum praecedere solent sequentia phaenomena: dysphoria, meteorismus abdominis, sensus constrictionis in pectore, alvus segnis, facies pallida aut aliquantulum livescens, adpetitus dejectus, tandem recurrens dispnoea. Haec phaenomena modo per aliquot horas, modo per integrum diem perdurare solent. Sequitur exinde paroxismus et quidem sequentibus symptomatibus: sensus ardoris, constrictionis in pectore cum crebris suspiriis; extremorum frigus, corporis erecti

Digitized by Google

tenendi atque fenestras aperiendi necessitas: tussis molesta, sicca, una cum suffocationis metu atque materiei parcae, viscidae ejectione; inspiratio difficilis, expiratio lente perficitur, et roncho sibiloso concomitatur; vehemens scapularum, humerorum, clavicularum, abdominisque agitatio; facies collapsa, ab initio pallida, dein rubra atque livida, pinnarum nasi deductio, oculi prominentes, loquela intercepta. Sub pleximetria sonus thoracis claro-tympaniticus adparet. Hujus phaenomeni causa in vesicularum pulmonalium abnormi dilatatione est quaerenda, unde relaxantur fibrillae, aer nimia in copia colligitur; quapropter necessario fieri debet, ut resonantia ipsa pectoris major evadere debeat. Tubi laennechiani ope ronchus sibilans vel crepitans siccus tum sub inspiratione, tum sub expiratione percipitur: pulsus parvi, inaequales, aut raro intermittentes; imo sub pressione vix ictus arteriarum sese produnt, quod vel maxime sub ingenti respirandi nisu contingit; quin etiam aegri interdum ad apnoeam usque perveniunt, nec ictus cordis, nec vasorum motus adparent. Hic status modo per aliquot minuta, per integram modo diem perseverat: generatim appropinquantibus horis matutinis phaenomena imminuuntur, et jam pauca post minuta, urinis saepe hypostaticis, saepe coloris straminei, quandoque sputis etiam facile succedentibus dissipantur. Malo diu nondum durante nonnisi aliqua remanet pectoris oppressio, caput ponderosum, vertigines, visus obnubilationes et ingens virium

Digitized by Google

debilitas. Attamen ad judicium asthmatis nervosi magis comprobandum conferunt defectus aliorum phaenomenorum, nec non causarum disquisitio, de quibus erit sermo.

Aliae species asthmatis tantummodo ex praefocationis sensu cum praecedenti confundi possent, unde nomen asthmatis desumitur, et adhuc retinetur, utcumque malo consilio hoc fiat. Species asthmatis a convulsivo discriminandae juxta clarissimi Burserii opinionem ad asthma humidum referri deberent. Ad illius mentem cognoscitur haec varietas a tussi humida, sibilo, stertore, levamine ob tumoris alicujus excretiones subsequenti: praeterea solet nunc augeri, nunc mitescere, prout humoris congestio increscit, aut imminuitur; sed nunquam intermittit, nisi morbo penitus soluto. Attamen haec asthmatis varietas in majorem venit lucem postquam clarissimi Laennec, Louis, Andral aliique anatomico-pathologicis observationibus innixi causas organicas in asthmate invenerunt, imo et variam esse morbi nosographiam existimarunt.

Asthma prouti est symptoma alicujus bronchiectasiae, aut emphysematis pulmonalis, vel potius alicujus catarrhi pituitosi, vel denique in intimo nexu cum cardiopathiis organicis existit, sicut monuit Rostan, multiplicem exhibet symptomatum adparatum. Igitur phaenomenologia longe erit diversa in asthmate ex *emphysemate pulmonali* ab illa ejusdem formae dum a *catarrho chronico* vel a *cardiopathia organica* dependet.

Digitized by Google

A) *Asthma cum emphysemate*

Dispnoea nunquam intermittit, imo et parum remittere consuescit. Evolvitur in individuis bronchitide chronica laborantibus cum difficili anacatharsi, morbus sub hyemali aut vernali tempestate gravior fit. Aeger conqueritur de sensu ponderis, anxietatis thoracicae adeo evolutae, ut animam corpore erecto emittere debeat; facies est lurida, oculi halone livido circumdantur; cephalaea et capitis pondus diuturni fiunt, tussis crebra, sonora veluti ex imo ventre prodiret, cum anacatharsi difficili atque metu suffocationis; sputa peculiares ostendunt characteres, videlicet glutinosa, coloris albo-flavicantis, quae dicuntur sputa margaritacea. Thorax percussus sonum edit clarum; costae ipsae majorem ostendunt convexitatem, motus thoracis interceptus; sub auscultatione ronchi mucosi, sonori, imo et sub-crepitantes obveniunt: respiratio ipsa vesicularis fere ex integro silet. Hoc ultimum phaenomenon magnae dignitatis haberi debet; tali enim pacto simplex bronchitis ab emphysemate distinguitur. Si quis autem quaereret quomodo respiratio vesicularis omnino sileat, illi ad leges physiologicas confugiendum esset, ex quibus docemur, quod dum omnes textus diuturnae subjiciuntur extensioni, pedetentim elasticitas eorum pessumdatur, unde fit, ut motus etiam intercipiatur. Qua de causa aere longius in cellulis pulmona-

Digitized by Google

libus nidulante et difficulter exeunte, cellularum elasticitas imminuitur, unde defectus rumoris vesicularis clare patet.

Aliud porro phaenomenon obvenit attentione dignissimum, videlicet hepatis atque lienis depressio, nec non diafragmatis motus impeditus. Hac ex causa sanguinis distributione irregulariter progrediente fiunt pulsus parvi, vacui leviterque frequentes, stagnationes in pulmonibus contingunt, unde dispnoea adeo eminet, ut formam asthmatis simulare valeat, etiamsi stricto sensu asthma vocari nequeat.

B) *Asthma cum catarrho pituitoso*

Phaenomena parum a praecedenti differunt, imo si excipias sputorum indolem atque symptomata physica, vix ac ne vix quidem peculiaria enumerantur phaenomena. Sputa revera sunt valde copiosa, densa simul concreta, odoris nullius, saporis fatui: sub percussione thorax eminenter tympaniticus redditur, ex eo quod fere semper hujusmodi morbus cum aliquo oedemate pulmonum conjungitur: sub auscultatione ronchus percipitur mucosus per magnam thoracis provinciam diffusus; ceterum alia phaenomena eadem sunt, quae prius exposuimus.

Digitized by Google

C) *Asthma cum cardiopathia*

Hanc speciem clarissimus Rostan pluribus illustravit observationibus: et in primis adnotari oportet hanc formam morbosam senectutis esse sobolem, unde etiam asthma senile nuncupari solet, et dependet ex aliqua organica cardiopathia, praesertim vero cum dilatatione simplici aut dilatatione hypertrophica cordis.

Phaenomenologia sequens habetur: cordis palpitationes, sensus anxietatis in regione praecordiali, quae omnia dum aliqua ex causa exacerbantur, dispnoeam usque ad gradum asthmatis extollunt; quapropter aegrotantes de repente usque ad fauces mortis trahuntur super accedente sensatione modo doloris, modo ponderis molesti in pectore, unde crebra fiunt suspiria, tussis suffocativa evolvitur, atque una simul magna muci copia pulmones de repente obruit, quo in casu pleximetria exhibet resonantiam pectoris huc illuc obtusam, sub stethoscopica investigatione ronchus mucosus aut sonorus percipitur, anacatharsis de repente supprimitur, respiratio fit orthopnoica, imo saepe saepius ipsa insurgit apnoea. Aeger a diuturna cordis palpitatione vexatur: cordis impulsus sub accessu valdopere augetur; sub percussione interdum sonus clarus in praecordiali regione obviam venit, quod ex eo dependet, quod pars pulmonis ab aere nimis inflata cor retrorsum impellit. Sub tubi laennechiani adplicatione rumores varii *limae*,

Digitized by Google

serrae, insufflationis percipiuntur, ex quibus symptomatibus physicis de cardiopathia simul cum asthmate decurrente judicamus. Omnibus his phaenomenis ingravescentibus vel aeger ad funera ducitur, vel si prompta occurrat medela per anacatharsim, asthma pedetentim remittit, imo quandoque fere penitus abigitur.

Attamen sub paroxismo aliquid aliud observatur, et quidem venarum jugularium sive pulsatio sive conspicua dilatatio. Hoc phaenomenon partim cum laesa respiratione sub ast hmatis paroxismo, partim vero cum valvularum tricuspidalium insufficientia congruit; quo in casu orificio venoso sub systole cordis hiante, sanguinis portio a ventriculi constrictione per rimas in venam cavam repellitur, unde venarum pulsatio atque dilatatio.

Hisce phaenomenis si accedat aliqua pulsus intermittentia aut irregularitas cum oedemate aut anasarca, judicium diagnosticum tutius atque firmius redditur. Verum hic adnotari liceat, quod emphysema pulmonum, tum catarrhus bronchiorum, tum etiam variae organicae cardiopathiae tamquam posthuma asthmatis, potius quam verae et constantes complicationes morbosae jure meritoque retinentur.

Hoc igitur pacto phaenomenologia asthmatis primitivi aut secundarii breviter exarata, ad aetiologiam deveniamus.

Digitized by Google

Aetiologia

Ad asthma producendum ingens causarum multitudo suam symbolam confert. Ut recto ordine in hac disquisitione progrediamur, causas praedisponentes ab occasionalibus separare decet.

Inter priores enumeratur imprimis haereditaria labes. Clarissimus Alibert fratres omnes ejusdem familiae huic morbo, anno circiter quadragesimo ingruente, obnoxios fuisse tradidit. De hac re non admodum mirabitur, qui dispositiones organicas plures generationis ope transfundi considerat, puta bronchiorum coarctationem atque peculiarem irritabilitatem.

Alterum momentum in aetate habetur: quo sub respectu neonati atque adulti crebrius quam pueri asthmate laborant. In senectute haud raro occurrit, sed tantummodo veluti affectionum cordis vasorumque majorum forma symptomatica, ut optimo consilio monuit celeberrimus clinicus Rostan.

Quoad temperamentum parum hucusque innotescit: etenim nec temperamentum nervosum sthenicum adeo frequenter asthmate laborat, sicuti primo videretur intuitu.

Omnia dein opificia, per quae aer corpusculis irritantibus inquinatur, tamquam causae praedisponentes recensentur. Hinc pulveres varii, ex. gr. calcis, cannabis, aliaque similia vel aromatica, vel metallica ad asthma

Digitized by Google

praedisponunt. Frequenter occurrit asthma in pharmacopolis, de qua re Cullen observationem refert cujusdam foeminae asthmate illico laborantis, dum in loco quodam ejusdem domus ipecacuanhae radix in pulverem redigebatur. M. Bosquillon virum cognovit asthmate correptum dum oryza per molendinem in viciniis ab heterogeneis liberabatur; nec deest morbus in illis, qui candelas sebaceas conficiunt ex fumo ab ipsis promanante.

Loca etiam nonnulla morbi evolutioni favere videntur. In aliquibus Indostan regionibus paludosis affectio spasmodica asthmati comparanda endemice grassatur. Probabiliter morbi evolutio repentinis aeris mutationibus est tribuenda, imo, praxi docente, asthmaticae affectiones sub tempestate humida magis ingravescunt.

Ad momenta occasionalia pertinent aer nimis aestuans, incitans, nimis elasticus; hinc morbus saevit aestivo tempore magis quam aliis temporibus, in locis ubi calor maximus evolvitur: sic Areteus narrat illos homines asthma praecipue pati, qui fornacibus dediti erant: porro adscensus super montes; qua ex causa clarissimus Spallanzani de repente a violenti asthmatis paroxismo corripiebatur: aer insuper frigidus, vel potus gelidi corpore aestuante assumpti.

Aliae causae morbosae sunt animi pathemata excitantia; ut, ex. gr., ira longius protracta, et sic porro: sequuntur deinde timor, vita sedentaria, studia nocturna, vigiliae protractae, pulmonum conatus sub decla-

Digitized by Google

matione, risu, cantu, insufflatione; quae ultimae tamquam praecipuae emphysematis pulmonalis causae se sistunt: omnium generatim stimulorum abusus, praecipue ciborum aromaticorum, vel etiam carnis suillae, piscium, ostrearum. Saburrae aliaeque gastricae irritationes in neonatis sic dictum *asthma stomaticum, helminthiacum* afferre valent, nec non in hypochondriacis. Ingesta acria, uti fungi, cicuta, belladonna aliaeque plantae venenatae, remedia ex plumbo parata, denique hydrargyrum ejusque praeparata: retentae evacuationes naturales vel artificiales, ut fonticulorum, cataméniorum, lochiorum, haemorrhoidum epistaxis vel seminis in individuis assuetis. Sequuntur porro tumores in trachea aut in bronchiis, semina vegetabilia et alia corpora inflammatio, emphraxis aut induratio glandulae tyroideae; saepe chronica tubereulosis; major mucosae bronchiorum spissitudo, catarrhus pituitosus, vermes evoluti in pulmonibus, vel ex intestinis quocumque modo translati, affectiones diaphragmatis, cyphosis, aut abnormis costarum dispositio congenita, aut acquisita ex fractura aut luxatione; denique mediastinitis chronica et aneurismata, ex quibus asthma *praecordiale* enascitur.

Ad illorum mentem, qui asthma asthenicum enumerarunt, plures aliae recensentur causae, scilicet veneris abusus, manustupratio, lochia nimis copiosa, diarrhoea ex abusu drasticorum, venae sectio inconsulto adhibita, abusus theae aut coffeae, impetiginum retropulsio,

Digitized by Google

ut scabiei, scarlatinae et milliaris, quo in casu, ait Burserius, aeger moritur, quia in autopsia mortis ratio sufficiens inveniatur.

Prognosis

Prognostica momenta ex magna imprimis dignitate pulmonum in ceteras vitae organicae functiones sustinendas eruitur; neminem enim latet, quomodo sub impedito aeris ingressu, sanguinis circuitus atque qualitativa illius conditio necessario mutari debeat. Igitur, utcumque asthma simpliciter nervosum et recens aegrum afficiat, nihilosecius vita ipsa in proximius discrimen vocatur. Hoc cum praelaudati Burserii axiomate congruit: «Quaecumque, inquit ille, respirandi difficultas non vacat periculo».

Judicii prognostici fundamenta, imo et periculum pro vario asthmatis gradu, pro majori ejus aut minori diuturnitate, pro subjecti constitutione, denique pro lateralibus complicationibus, modo mitius, modo gravius est. Asthma haereditarium sanationis spem amittit.

Generatim respiratio orthopnoica infaustam requirit prognosim, si praecipue per aliquot horas perduret; etenim eo in casu vires musculares collabuntur, et ipsa paralysis cum subsequa pulmonum apoplexia sequi consuescit; vel si hoc non fit, congestiones determinantur in cerebro, cum subsequa cerebri haemorrhagia, vel syncope lethali. Verum non desunt casus, ubi et ortho-

Digitized by Google

pnoea per plures horas duravit, quin infaustus exinde haberetur exitus. Sub hoc autem respectu priusquam ad prognosim medicus deveniat, oportet ut complicationes ipsas sedulo perpendat, ex quibus major vel minor pro infausta prognosi habetur probabilitas. In senibus plerumque in catarrhum suffocativum et apnoeam facile transit.

Quo diuturnius est asthma, eo majori stipatur periculo; imo ex accedentibus complicationibus atque progredienti aetate vires magis magisque pessumdantur; quapropter videmus de repente mortem contigisse dum spasmus pulmonum fibras alioquin debiles et laxas corripuit.

Aegrotantes corpore gracili instructi, rachitismo obnoxii, v. gr. qui cyphosi congenita laborant, monente clarissimo Hippocrate, ante pubertatem moriuntur. Idem quoque auctor in alio loco ita inquit: «Spirationes quae nonnisi erecta cervice ducuntur, hydropem siccum faciunt»: dein ita refert: «Spinae perversionem et spirandi difficultatem sanguinis fluxus liberat».

Asthma ex emphysemate pulmonum complicationem morbi sistit gravissimam; etenim sub iteratis paroxysmis novis vesiculis disruptis mors soffocativa necessario sequitur. Eadem pro asthmate cum catarrho pituitoso sunt repetenda. Quidcumque dicant illi, qui asthma humidum cum facili et levante pituitae excreatione bene ominari dicunt, tamen hoc judicium tantummodo pro morbi initio valet, nequaquam pro diuturno et simul

Digitized by Google

cum chronico catarrho decurrente, ubi, referente eximio Burserio, si cum virium dejectione mutatio haec obvenerit, indicium esset instare catarrhum suffocativum, sive sanguinis per pulmones trajectionem prorsus interceptam iri.

Asthma ex cordis aneurysmatibus aegros de repente ex lethali syncope interimit.

Si autem de signis vere mortuorum quaestio habeatur, huc transferendum quodammodo est illud Hippocratis oraculum: «Ex iis, qui strangulantur et resolvuntur, nondum autem sunt mortui, non se recolligunt, quibus spuma circa os fuerit». Tanta enim videtur fuisse suffocationis vis, ut non omnis faucium et tracheae mucus inter respirandi conatus expressus, et cum aere intime permixtus, in spumam abiverit, et simul vasa cerebri aut rupta, aut enormiter dilatata nervorum omnium etiam vitalem actionem substulerint. Animadversione quoque dignum est illud, quod monet Riverius, nimirum complures difficultati urinae obnoxios saepe hac evanescente in asthma incidere, redeunte vero ab asthmate liberari. Hoc etiam de podagricis affirmari potest. Frequentissimum enim est, ex gravissima difficultate spirandi corripi si podagra diutius immunes extiterint, nec prius convalescere, quam podagra ad pedes, aut artus sese iterum contulerit.

Digitized by Google

Therapia

Cum morbi nosogenia atque sedes subjectum quaestionum inter veteres atque neotericos fuisset, ita nil mirum ex tota materie medicinali plura et inter se opposita medicamina contra asthma opponerentur atque laudarentur. Ita humoristae ad humorum coctionem atque expuitionem favendam sic dicta remedia *maturativa* exhibuerunt. Qui scientiam signaturae profitebantur, juscula ex pulmonibus vitulinis aut caprinis commendare solebant. Celsus positionem aegrorum supinam, cataplasmata emollientia, potus et cibos emollientes leviterque diureticos, vapores pariter emollientes inspiratos, nec non frictiones in artubus instituendas laudavit. Baglivius aerem campestrem asthmaticis suadet, imo therapiam rationi magis idoneam commendavit: ita inquit:

«In diuturno asthmate sive humorali, sive convulsivo, aerem rusticum aegrotantibus impero, et potissimum ut campos habitent, quos arant bubulci: debet itaque asthmaticus sequi bubulculum quando terram arat, et incedere per sulcum, sive viam ab aratro recenter factam, et aperto ore respirare aerem, sive halitus nitroso-salinos ac sulphureos a recenter ruptis terrae glebis prodeuntes; tonus pulmonum longo tempore relaxatus, nitro-salina centralis terrae carolis substantia roboratus, confirmatur et restituitur, eoque restitui-

Digitized by Google

tur circulus quoque liquidorum per pulmonum telas in libertatem ponitur morbusque profligatur».

Antispasmodica alterantia et revellentia valdopere laudata fuerunt. Clarissimi chemici Fourcroy et Bèddöes inspirationem oxygenii aut melius chlori levi in copia cum aere cubilis remixti suadent. Nec defuerunt qui vapores arsenicales in asthmatis inveterati curatione ad sidera usque extollere voluerunt.

Nunc speciatim ad therapiam asthmatis deveniendo, haec discriminari oportet, prouti de recenti atque spasmodico asthmate vel potius de complicato pertractetur, vel denique prout cura sub paroxysmo aut sub intermissione suscipitur.

Dum igitur prodroma asthmatis jam recensita praesto sunt, aegris suadentur aer purus, lux, positio corporis erecta, ita ut motus respirationis ne hilum quidem perturbentur; vincula omnia, uti thoracula etc. sedulo removeantur, declamatio et motus prohibeantur. Aegri quoque asthmate laborantes ne lectum petant donec corporis lassitudo ad eum gradum perveniat, ut breviter somnus locum habeat; aliter enim symptomata exacerbari solent.

Nunc missis spirandi difficultatibus, quae aliorum morborum symptomata sunt, quaeque ab eorumdem curatione levamen expectant, ad eam deveniam, quae proprium curationis genus expostulat, scilicet ad asthma nervosum. Plura sub hoc respectu pharmaca tum vegetabilia, tum mineralia laudata fuerunt. Inter vege-

Digitized by Google

tabilia generatim omnia illa referuntur, quae effectum exerunt narcoticum, opiatis ipsis non exceptis. Herba daturae stramonii ab agyrtis tamquam princeps remedium contra asthma praedicatur. Medici anglici nuperrime et americani illam herbam in asthmatis curatione indiscriminatim adhibere solent. Cruvelhier et Kriner plures referunt observationes, in quibus herba stramonii tanquam pulvis fumalis veluti nicotiana optimo cum effectu aegris propinabatur. Post daturam stramonii sequitur quoad celebritatem atropa belladonna, cujus proprietates antispasmodicae ab omnibus satis cognoscuntur. Usus hujus plantae idem est ac praecedentis, nimirum forma pulveris fumalis. Clarissimus Laennec inspirationem acidi hydrocyanici ex infusione pruni lauro-cerasi tanquam remedium efficacissimum commendavit. Nec silentio praetereundum est, quomodo Londini planta quaedam ex campanulaceis (lobelia inflata), cujus effectus ad illas nicotianae valde accedunt, mirum in modum ad imminuendos asthmatis paroxysmos valuerit, saltem Ellioston referente. Aliae porro observationes in Gallia institutae insignem illius plantae efficaciam contra asthma clare aperteque comprobarunt. Hunc ad finem practici tincturam adhibent simul cum aqua simplici destillata: dosis est circiter scrupuli aut drachmae unius intra nycthemerum. Inter alia antispasmodica etiam opium aliquam sibi vindicat attentionem; etenim congrue adhibitum prae ceteris palmam sibi arripuit. Attamen tantummodo ad illius usum

Digitized by Google

deveniat medicus, cum symptomata revera asthmatis asthenici praesto sint absque ullo congestionis cerebralis indicio. Arnica etiam montana praeter alia narcotica veluti hyosciamum, aconitum, digitalem, assam foetidam, myrrham, laudes sibi promeruit. Dum autem cum vera debilitate asthma decurrit, laudantur a pluribus aetheres, camphora in aethere soluta sub forma liquoris anodyni *Banchi*; tandem castoreus, moscus atque ammoniaca ejusque praeparata.

Nunc quaestio proponitur, an scilicet sub paroxysmo longius perdurante semper venam secare liceat, etiamsi de simplici asthmate spasmodico perageretur. Hoc intuitu criteria practica aliquam lucem tribuunt. Itaque si summa spirandi difficultas homini non aetate nec morbis fracto supervenerit, quaecumque ejus causa sit, expedit sanguinem e vena modo brachiali, modo jugulari mittere, et multo magis si facies accensa, oculi injecti, si evacuatio aliqua suppressa, si haemoptysis, cephalaea, aut capitis temulentia id auxilii requirere videantur. Nec ab ea pulsus parvus, obscurus et contractus, nec extremorum frigus deterreat, dummodo reliqua non repugnent. Quoad venae incidendae selectum varia habentur opinionum discrimina. Haller venae jugularis sectionem commendavit: Sennert saphenam aperire jussit, ut eodem tempore auxilium revellens habeatur, dum asthma ex catameniorum aut haemorrhoidum suppressione dependet. Nos credimus mox uno mox altero in modo venam esse secandam juxta aegri sta-

Digitized by Google

tum, juxta symptomatum vim, nec non causas morbum determinantes. Adplicationes hirudinum sub paroxysmo nequaquam prosunt; forsan magis indicantur in stadio intermissionis, dum congrua indicatio obviam veniat: quapropter suadentur hirudines ad vasu sedalia si de subjecto haemorrhoidario, ad pudenda si de puella amenorrhoica peragatur; imo clarissimus Van-Helmont cucurbiculas ad pectus sub asthmatis paroxysmo laudavit.

In asthmate simul cum catarrho chronico decurrente, alia laudantur remedia, inter quae eminet lac, oxymelita, antimonialia, scilla, gummi ammoniacum, saponacea, calomel et alia hujusmodi, ex quibus quandoque magnum solamen habetur, imo et paroxysmus brevior redditur post pituitae anacatharsim. Eodem tempore vapores balsamici, aut resinosi valdopere proficiunt. Si autem catarrhus suffocativus exitum lethalem minitetur; tunc ad emetica praesertim ad ipecacuanham dosi altiori exhibitam confugiunt medici, quorum ope sputa collecta ejiciuntur cum immediato phaenomenorum levamine.

Si cum cardiopathia asthma decurrat, tum curatio palliativa est tentanda, verum absque ulla spe. Inter remedia seliguntur illa quae diuresim aut catharsim sollicitare valent, uti gummi-gutta, scilla, cantharides, digitalis, alcalia, aconitum, terebinthinacea, lapides cancrorum nec non aquae soteriae. Longo autem usu cantharides celebritatem acquisiverunt. Hae enim cuti ad-

Digitized by Google

motae, uti notum est, non modo vesicas excitant, unde humor prolicitur, aliquid cantharidinae absorbetur, in circulum labitur, et diuresim ciere valet. Quare mos est quorumdam vesicantia pluries variisque in locis adhibendi; quae potissimum in usum veniunt, quando metastasis morbo causam praebuerit.

Attamen aliquae hygienicae animadversiones asthmaticis proponuntur. Et quidem caveant, quantum fieri potest, a vicissitudinibus atmosphaericis, a perfrigeratione; cubile sit altum, aer pluries de die renovandus: cibi sint leves atque facili modo digerendi, potus spirituosi omnino vitentur, sicuti pariter abusus theae atque coffeae non absque nocumento aegrotantis evadere possunt.

Si accessus decursum intermittentem sequantur, tunc chininae praeparata apprime conveniunt, inter quae eminet valerianas chininae nec non zinci, quorum ope contra duplex elementum morbosum, scilicet contra morbi periodicitatem atque nervorum exaltationem medicus agere potest. Hunc ad finem, ut scilicet nimia sensibilitas compescatur, haud raro balnea et aquarum soteriarum usus valdopere laudantur; praesertim ubi cachexia aliqua emineat. Ferrum ejusque praeparata, et speciatim valerianas ferri in illis laudantur casibus, in quibus morbus cum menostasia conjungitur.

Peregrinatio vero, aerisque in salubriorem mutatio, quam Baglivius summopere laudavit, hic praesertim locum habet. Generatim habitationes in locis planis,

Digitized by Google

ubi aer nimia siccitate non peccet, magis prosunt, quam regiones alpinae.

Haec sunt hygienica atque pharmaceutica praesidia, quorum ope haud raro asthma ad sanationem perducitur.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE

I.

In cellulis pulmonalibus adest textus contractilis ad muscularem proximius accedens.

II.

Emphysema pulmonum est saepe effectus asthmatis nervosi jam inveterati; quapropter tamquam complicatio asthmatis ipsius haberi debet.

III.

Asthma senile cum artero-lithiasi variisque cardiopathiis organicis strictum tenet nexum.

IV.

Respiratio orthopnoica longe perdurans in asthmaticis non semper mali ominis est retinenda.

V.

Docimasiae pulmonalis certitudo in judicio proferendo, an foetus mortuus revera ortus sit valde exagerata.

VI.

Amaurosis in uno oculo evoluta facili modo et alterum corripit.

VII.

Chemica pericula ut mucus a pure distinguatur nondum indicia certa praebuerunt.

Digitized by Google

VIII.

Arthritis est morbus imprimis a laesa assimilatione organica promanans.

IX.

In remediis narcoticis actio primitiva a secundaria probe distinguatur oportet.

Digitized by Google

2

Sib

Digitized by Google